

De variis cataractae curandae methodis : dissertatio inauguralis medico-chirurgica ... / auctor Davides Heilbronn.

Contributors

Heilbronn, David.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Georgii Reimerii, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pswy2v3h>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution


This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





74
DE

ARIIS CATARACTAE
CURANDAE METHODIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA HONORIBUS

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

DAVIDES HEILBRONN

LIPPLACUS.

D. XII. DECEMBRIS MDCCCXX. h. l. q. s.

OPPONENTIBUS

CAROL. FISCHER

CERN. ROTHE

ANAST. HIRSCHEL

} MEDECINAE DOCTORIBUS.

BEROLINI,

TYPIS GEORGII REIMERII.

THE CALIFORNIA
METHUEN

DISSENTATION
BY
J. J. J. J.

OF THE
CALIFORNIA

UNIVERSITY
OF CALIFORNIA

AT LOS ANGELES

IN THE
YEAR 1880

BY
J. J. J. J.

OF THE
CALIFORNIA

UNIVERSITY
OF CALIFORNIA

V I R O

PERILLUSTRI EXELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO

H. GUIL. HUFELAND

MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO OR-
DINARIO, INSTITUTI POLICLINICI UNIVERSITATIS
RECTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A
CONSILII STATUS ET ARCHIATRO, ORDINIS AQUI-
LAE RUBRAE CLASSIS SECUNDAE EQUITI, NOSO-
LOGII CARITATIS MEDICO PRIMARIO, ACADEMIAE
SCIENTIARUM BEROLINENSIS, SOCIETATIS
MEDICAE PARISIENSIS, PETROPOLITANAE, MOSCO-
VICAE, VENETAE, BRUXELLENSIS, HELVETICAE
ALIAM SODALI.

PRAECEPTORI
SUMMA PIETATE COLENDO
PATRONO

EGREGIE DE SE MERITO

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
OMNI QUA DECET REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

AD LECTOREM.

Qui scribit, laudatur ab his, culpatur ab illis:
Lectoris vultu statque caditque sui,
semper agit causam, nec tempore transiget ullo:
Semper enim sub te iudice, Lector, erit.

(Joannis Owenii epigr.)

THE HISTORY OF THE

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines, covering most of the page's width and height. The characters are too light and blurry to be transcribed accurately.

PROOEMIUM.

anovissimis inde decenniis, quibus tot ac
ata medicinae chirurgiaeque contigerunt in-
ementa, disciplina quoque de oculorum cura-
nibus, nimis ante neglecta, insigni amore
edioque fota atque exulta est. Etenim quum
alum organon tenerrimum repraesentare vi-
rent, cautas habilesque manus ac instrumenta
otilissima ejus curationi tantum respondere,
ile intellexerunt. Quae cum essent necessa-
, nostris tamen temporibus duobus potissi-
im erroribus animos implicuerunt. Primum
idem qui circa oculorum curationes versa-
ntur dexteritatem quandam adepti, ex ea
atummodo methodo, quam sibi delegerant
utem sperandam judicabant, aliisque omni-
is temere neglectis ac repudiatis, hanc unam
nibus exemplis adaptare studebant. Quin-
o persuasum sibi habebant, vix unquam im-
diri, quominus omnibus vitiis haec curandi
tio praestetur, proptereaque reliquas non so-
m supervacuas, verum etiam alienas atque
imicas arbitrabantur. Hisce erroribus obcoe-
ti non artem naturae, sed hanc illi accom-
odare moliebantur. Haecce proposita ad ve-
tatem accuratissime respondere facili negotio
acescet, si historiam variarum methodorum,

curandae suffusioni adhibitarum, obiter tantum tetigeris. Etenim keratonyxi per Buchhornium methodis prioribus addita, summo fere omnes studio evincere tentarunt, ne unam quidem existere cataractae speciem, cui haec methodus non medeatur, eamque reliquis tum faciliorem, tum longe esse tutiorem. Quae quum evenissent, lentis extractio in totum fere est rejecta, siquidem exempla eam flagitantia deesse existimabant, imo adeo in tantum discrimen res deducta, ut methodi illius abrogatae vindices in arenam provocarentur. Contemptus iste ac repudiatio methodorum minus probatarum eo magis intenderentur necesse fuit, quo minus iis utebantur, et dexteritate carebant, qua, ut operatio respondeat, quam maxime opus est.

Aliud inde natum est incommodum, cupido scilicet instrumenta nova inveniendi, inventa emendandi, emendata vanis complicationibus adornandi. Curationem optime cessuram, si suis quisque instrumentis uteretur, censebant, quo quidem accidit ut artifex instrumentarius haud raro auctor esset aut emendator. Pericula hisce instrumentis instituta, bene interdum responderunt, magnumque iis usum conciliarunt, quo aliis omnibus praecellere perhibebantur. Medici juvenes, ad hanc medicinae partem animos applicaturi optime sibi consulere videbantur, si novum excogitarent instrumentum, aut saltem vetustius quoddam mutarent. Quis est, cui non innotuerit ingens instrumentorum catterva ad conformandas pupillas artificiales inventorum, emendatorum? Quis, qui haud noverit praegrandem scalpellorum numerum, eorumque fere inutilium, ad praestandam keratotomiam?

Haec tamen ita propono, ut salvam velim dignitatem instrumentorum a viris praestantissimis Scarpa, Graefe, Langenbeck aliisque inventorum, vel ab Himly, Adam Schmidt etc. emendatorum, quippe qui, quum melioribus copus esse intellexissent, interno quodam incitanti nisu, ea exhibebant, summumque arti nostrae fructum conciliabant. Sed quid est quod illaudes horum virorum verbis terere auserim, quum propter omnium ora jam eorum nomina ferantur. Vituperatos eos volo, qui nullo artis desiderio agitati, id operae modo meditantur, ut gloriam quandam sibi pariant, quibusque spuris artis honos, quem dicunt, non gentis humanae salutis curae cordique est.

Istiusmodi instrumentorum inventores atque emendatores comparare licet puristis ac meologis, qui dicuntur, qui ingenii expertes recens meditantur vocabulum, et eheu! monstrum parturiunt; auctor vero, quem verum habere licet, haud acquiescens vulgari sermonis rationi, nova etiam meditatur, quae quidem mirifice desideriis omnium respondere videmus.

Sed haec hactenus. Quum enim peculiaris locus in libro de Charlataneria eruditorum*) huic rei competat, alii librum illum continuaturi hanc aevi nostri perversitatem castigant, ne juniores Aesculapii sectatores peritiorum rationes ludibrio perstringere videamur. Nos quidem haud mediocri artis salutaris amore studioque impulsus haec paucula proposuimus, nec meritissimis de scientia nostra auctoribus quidquam laudis derogare studuimus, haud vero

*) Jo. Burch. Menkenii de Charlataneria eruditorum declamationes duae. Editio IVta. Amstelodami 1727. 8.

potuimus, quin omnia, quae vanam tantummodo gloriationem ac partium studium proderent, acerbissime reprehenderemus, quippe quae haud minus detrimenti medicinae intulerunt, quam utilitatis ex doctrinae veritatisque amore in eam redundavit.

Hisce me inductum confiteor ad concinandam dissertationem de materia aliqua, quae nuperrimis temporibus varia quidem tulit utilia, nec tamen pro sua ipsius dignitate satis fota et exulta. Istae quidem pagellae, quantum pro viribus meis ac temporis brevitatem licet, sine partium studio de tribus praestantioribus curandae suffusionis methodis ita exponent, ut primum commoda earum recenseantur, tum incommoda pertractentur, denique exempla exhibeantur, quibus singulae respondere videntur. Noli tamen sperare, nos vel historiam harum curandi methodorum, ab aliis infra *) positam fusius explicatam, adumbraturos, aut instrumenta hunc ad scopum edita dijudicaturos, vel encheireses varias earumque cautelas ruminaturos, quae quidem omnia, quum sexcentis libellis sint exposita fines huic opusculo praefixos excedunt.

Autorum, quos hac de re consului, praestantissimi sunt:

1. Richter Anfangsgründe der Wundarzneikunst. Tom. III.
2. Benj. Bell Lehrbegriff d. W. A. Kunst a. d. Engl. Edit. III. Tom. III. pag. 186. 218. etc.

*) 1. Sprengels Geschichte. 2. Schreger Grundriss chirurgischer Operationen. 3. Spörl Praeside Graefe, de Cataractae reclamatione et de Keratonyxie. D. i. m. Berol. 1811.

3. Langenbeck Bibliothec T. I. 2, pag. 530.
II. 3, 522. IV. 2, 333.
 4. Ejusd. neue Biblioth. T. I. 1. pag. 1.
II. 2, 153, 177.
 5. Spoerl. Vide supra.
 6. Buchorn de Keratonyxide. Magdeb.
1810.
 7. Samuel Coöper neustes Handbuch der
Chirurgie, übers. v. Froriep. Weim. 1819.
T. I. pag. 380.
 8. Himly Ophth. Bibliothec T. II. 2, 117.
et aliis locis.
 9. Arnemann Magazin I. 1, pag. 59, 292.
 10. Dr. Andreae über die Lehre vom grauen
Staar und die Methoden denselben zu
operiren, in
C. Graefe's und v. Walther's Jour-
nal für Chirurgie und Augenheilkunde
T. I. 3, pag. 480. et 4, pag. 612.
Si quis prolixiorum hujus rei adumbratio-
nem appetat, conferatur Schregerus l. l.
-

CAPUT I.

§. 1.

Unaquaeque suffusionis curandae ratio id molitur, ut lens obfusca vel cum vel sine capsula sua ab oculi axi submoveatur, quod quidem triplici modo praestari potest:

A. Lens ex oculo removetur, cujus operationis etiam duplex agendi modus est:

a. per Keratotomiam s. Extractionem per Corneam;

b. per Scleroticotomiam s. Extractionem per Scleroticam.

B. Lens in oculo residet, quod quidem fit:

a. per Scleroticonyxin. Hac ratione lens vel deprimitur (Depressio lentis) vel reclinatur (Reclinatio) vel ad latus collocatur (Dislocatio).

b. per Keratonyxin.

C. Lens comminuitur, ac resorptioni committitur:

a. per Keratonyxin.

b. per Scleroticonyxin.

De Keratonyxi.

§. 2.

Keratonyxin primam posui, quippe quae temporibus nuperrimis prae caeteris culta, et ratione dexteritatis technicae omnium simplicissima est et facillima, dein ad reclinacionem, sic dictam, eaque exposita ad extractionem, ut minus usitatam atque difficiliorem progredior. Quum utraque operatio primo alteroque loco collocata mihi sint praesidia cataractae deprimendae et comminuendae, rationes utrique negotio aut faventes aut obversantes mixtas exhibere non dubitavi.

Argumenta, quae in ejus favorem proferrī possint.

§. 3.

1^{mo}. Quum per eam tantummodo cornea laedatur, minus aeris quam post extractionem committitur, itidem reclinatio plures partes laedit.

Hoc quidem commodum minoris habendum est, siquidem cornea non ex toto insensibilis est, facileque inflammatur, potissimum ubi dyscrasia quadam corpus obsidetur, quae experientia teste efficit, ut facilius cornea quam sclerotica infestetur. Verissime Weinholdius in supplementis ad reclinandam lentem crystallinam pagina 19. corneam, ait, ceu materiam organicam simplicem in statu integro nulla sensibilitate conspicuam, vim tamen exserere sensibilem, irritabilem atque productivam, id quod inflammatio ex injectis corporibus alienis, sicut pus inter ejus lamellas, nec non opacitas ac staphylomata evincunt. Plus momenti corneae

laesioni accessit, ex quo Wardropius capsulam corporis aquei ejusque inflammationem cum incommodis suis, exsudationibus et adhaesionibus descripsit. Non alienum hic loci videtur vindicis acerrimi Keratonyxis Langenbeckii mentionem facere et lectorum animos ad Commentarium ejus (Neue Bibliothek B. II. St. 3. pag. 418.) attendere, siquidem limites hujusce libelli satis circumscripti, impediunt quominus fusius de hisce disseram.

§. 4.

2^{do}. Quae de laesione membranae hyaloidae huic methodo sunt objecta, commodissime Langenbeckius refutavit, (conferatur. Neue Bibliothek B. II. pag. 190.), quippe qui membranam illam firmissimam aegrius disrumpi suculenter evicit. Nec nisi manus incauta atque inhabilis retinam acu infestare consuevit. Quae jam praeposita sunt ad reclinacionem quoque pertinent.

§. 5.

3^{tio}. Quum instrumentum semper ante oculos curantis versetur omnes ejus agitationes exactissime possunt observari, quod efficit, ut partes nobiliores magis quam reclinacione per scleroticam tutae praestentur.

§. 6.

4^{to}. Operatio, quae prima vice minus respondet, saepenumero bis imo quinquies institui potest.

§. 7.

5^{to}. Eadem manus ad curationem utriusque oculi praestandam sufficit, quod quidem a reliquis methodis alienum. Minimum etiam negotii curantis manibus exhibetur.

§. 8.

6^{to}. Quum acus ope oculi motio magis a curantis arbitrio pendeat, volutatio ejus, saepe molestissima, haud metuenda est.

§. 9.

7^{mo}. Instrumentum protinus anteriorem cataractae faciem tangit, nec unquam capsulae lentis potest elabi, si quis resorptionis causam incidere velit.

§. 10.

8^{vo}. Prolapsus iridis neque corporis vitrei unquam pertimescendus est.

§. 11.

9^{mo}. Curae secundariae spatium brevius quam sub aliis agendi rationibus praestatur. Verumtamen quum resorbtio a suffusionis natura pendeat spatium ejus certis limitibus circumscribi haud potest.

§. 12.

10^{mo}. Keratonyxin infantibus adhibere licet, ubi reclinatio difficilior, extractio propter oculi volutationem aliena est.

§. 13.

11^{mo}. Palpebris parum hiantibus, oculisque subsidentibus Keratonyxis commodissime in usum vocatur.

Quae Keratonyxi obstant.

§. 14.

1^{mo}. Impedimentum gravissimum inflammatio capsulae humoris aquei, de qua supra posuimus (§. 2.), ejusque sequelae suggerunt.

§. 15.

2^{do}. Cicatricula ex incisione superstes mediae pupillae est adversa, quae quum corneae maximoperae sit parcendum, tanto magis metuenda est, ubi pus moverit.

§. 16.

3^{tio} Acus trudenda est trans iridem, quae facillime pressionem recipit, incendioque offenditur; evenire etiam potest, ut Iris inter operationem contrahatur atque irritetur.

§. 17.

4^{to} Facies concava acus minus commode administratur, quam si juxta longitudinem cataractae imponitur, id quod reclinatio per scleroticam exigit.

§. 18.

5^{to} Cataracta lentis durior capsula latius incisa in cameram oculi anteriorem delabi, extractionisque necessitatem facere potest.

§. 19.

6^{to} Capsulae obfuscaetae, quamvis resorbeat lens, suffusio quasi secundaria superstes est.

§. 20.

7^{mo} Ubi facies capsulae posterior aut membrana hyaloidea contigua obscurata est, incassum operatio tentatur.

§. 21.

8^{vo} Lens depressa rursus ascendere potest, quod incommodum, quum Keratonyxi et Scleroticonyxi commune sit, rarissime tamen incidit, ubi curatio rite administratur. Testes hujus

Hujus Sententiae Himly, quem praeceptorem
a solo longe meritissimum, aliique Keratonyxin
et reclinacionem diligentissime exercentes.

CAPUT II.

De Scleroticonyxi.

§. 22.

Hanc etiam operationem, ut supra moni-
tum est, auxilium judico lentis reclinandae,
deprimendae atque comminuendae.

Argumenta, quae eam defendant.

§. 23.

1^{mo} Sub hac oculus fere in totum inte-
ger remanet, siquidem exiguum modo vulnus-
culum infligatur, quod brevi coit. Experien-
tiae etiam testimonium affirmat, inflammatio-
nem minus facile induci, quam in cornea,
omnis sensus, quantum cernere licet, experti.

§. 24.

2^{do} Cornea integra manet, unde cicatrix
impedimentum datura cavetur.

§. 25.

3^{tio} Iris instrumentis haud afficitur, nec,
si extractione pressionem a lente experitur,
procirca Synizesis pupillae arcetur.

§. 26.

4^{to} Depressione capsula lentis amovetur,
membrana hyaloida nunquam non rumpitur
ad latus compellitur, quo fit ut ejus obscu-

ratio haud aequae ac post alias curandi methodos existere possit.

§. 27.

5^{to} Ex praemissis patet (§. 24, 25, 26.), cur depressio optimam oculo cernendi facultatem conciliet, quod quidem experientia virorum praestantissimorum testatur.

§. 28.

6^{to} Reclinatio lentis citra damnum pluries repeti potest.

Vareus circa oculum aliquem quinque intra dies quatuordecim hanc curationem instituit. Ubi vero extractio parum respondit vel totus oculus perit vel aliquantum salutis tantummodo a pupillae artificialis conformatione sperandum est.

§. 29.

7^{mo} Oculus pariter ac in Keratonyxi curantis arbitrio est submissus.

§. 30.

8^{vo} Eandem curationem palpebrae parum distantes, imo adeo pupilla clausa, oculi camera anterior angustissima recipiunt.

§. 31.

9^{no} Oculi affectio minus diuturna est, quae fit, ut aeger post breve luci coeloque sese committere possit.

§. 32.

10^{mo} Eadem Dyscrasia laborantibus magnae vulnerabilitate conspicuis haud aliena est.

§. 33.

11^{mo} Denique experientia methodi huius dignitatem mirifice tuetur, si quidem ex triginta operationibus vix una malum sortitu

eventum, Extractio vero vix sexta medico versatissimo respondet.

Quae eam alienam indicent.

§. 34.

1^{mo} Depressione omnes fece oculi membranae, imo interdum retina ipsa offenditur, verum tamen experientia docet, ejusmodi laesiones rarissime gravioribus stipari incommodis.

§. 35.

2^{do} Corpus obfuscatum in oculo quum resideat novae obscuratiōni ansam suppeditare potest, quia vel partes non obnubilatae submoventur, aut lens ad locum suum redit.

§. 36.

3^{io} Instrumentum acutum, quo aegrotus tractatur oculis persequi haud licet. Proinde manipulationes ad angulum accommodandae sunt, quem instrumentum exterius cum oculo format, qui quum sit sphaericus, lineam rectam (Tangente) ducere oportet, ut angulus obtineatur, id quod Andreae (l. l.) bene monuit.

§. 37.

4^{to} Processus ciliares facillime laeduntur, sanguinisque profluvium incidit.

§. 38.

5^{to} De pressione cataractae ad corpus vitreum jam supra sub Keratonyxi quaedam praecipimus.

CAPUT III.

De Keratotomia cum extractione lentis.

Quae eam tueantur argumenta.

§. 39.

1^{mo} Cornea sola inciditur, quod interdum aegrius ferri supra monuimus.

§. 40.

2^{do} Lens obfuscata penitus ex oculo submovetur, quum vero subinde capsula obscurata resideat depressionis necessitas incidit.

§. 41.

3^{tio} Per totum extrahendi instrumenta oculis sectari, partibusque nobilioribus parcere licet.

Quae extractioni sunt contraria.

§. 42.

1^{mo} Multum aeris in oculum immittitur, quum cornea incisa saepius sublevetur.

§. 43.

2^{do} Quum maxima sit oculi agitatio facillime incisa cornea iris offendi potest, praesertim ubi camera oculi anterior paulo angustior est. Inquies illa intendatur necesse est, si qua cernendi facultas aegroto superest, siquidem scalpelli splendor oculum offendit. Qui coeci nati sunt, oculi agitatione majori pollent. Quaelibet autem pressio ad oculum figendum, potissimum per retinacula, innimi-

cissima est, praeterea illa me iudice ex toto
reijcienda sunt.

§. 44.

3^{to} Facillime iris, corpusque vitreum,
non sine maximo oculi detrimento prolabi con-
sueverunt.

§. 45.

4^{to} Lentis transitu per pupillam ex facili
Iris contunditur, ac resolvitur, quae pressio
tanto major existit, quo major est cataracta.

§. 46.

5^{to} Corneae cicatrix semilunaris induci-
tur, quae vel oculum deturpet, si incisio mi-
nus commode administrata est, vel etiam in-
cendium vel ulcus parit.

§. 47.

6^{to} Extractio si male cessit secunda in-
stitui haud potest, et unicum refugium pu-
pilla artificiali datur.

§. 48.

7^{mo} Parietis capsulae posterior residet, et,
si iam opaca fuerit, obscuratur.

§. 49.

8^{vo} Extractio ipsa difficillima est, corne-
aeque incisio non solum in vivis, verum etiam
in eadaveribus saepenumero male respondet.

§. 50.

9^{no} Cura secundaria post extractionem
multo exactior ac diuturnior sit necessaria est,
quam post alias curandi rationes.

§. 51.

10^{mo} Experientia docet, minimum esse
exemplorum numerum, ubi extractio prospe-

rum sortiretur eventum, si numerum earum operationum respexeris, quae male cesserunt. Extractionum ducentarum et sex a Daviele institutarum modo centum et quadraginta octo responderunt. Ricterus operationum decem a se praestitarum, tres male cecisse ingenue fatetur.

CAPUT IV.

Quaenam curandi rationes singulis exemplis respondeant.

§. 52.

Auctor harum pagellarum tantum abest ut persuasum sibi habeat, praecepta perpetua de hisce rebus posse proponi, siquidem inopia diagnoseos certae diversarum suffusionis varietatum nimis manifesta est, ut probe intelligat sibi etiam hocce periculum vix ex parte responsurum, quippe qui propria experientia circa vivos collecta fere ex toto destituatur et hocce commentariolum partim rationibus theoreticis partim experimentis circa animalia institutis maxime vero aliorum auctorum periculis superstruxerit. Neque tamen ab hoc opusculo abstinendum esse censuit, sperans fore, ut medicus ocularius omnium curanda cataractae methodorum peritus simulque a partium studio alienus, agendi rationem experientia stabilitam exhibeat, qua vel haec proposita refellantur vel confirmentur.

Indicationes Extractionis.

§. 53.

Inverso ordine primam posuimus extractionem, quippe quae paucis tantummodo exemplis convenire videtur. Quum ex indicationibus per se contraindicationes pateant, de illis tantummodo exponam, easque, ne subtiliores exhibeam divisiones promiscue recensebo, modo cataractae ipsius, modo aliarum conditionum ratione habita.

§. 54.

Extractio his in casibus necessaria videtur:

- a) in Cataracta dura, quae oculo caeterum bene comparato homineque integro facili negotio extrahitur, quae si cum pariete capsulae posteriori firmiter coaluerit, acu ad depressionem adaptata diducitur;
- b) in Cataracta pyramidata, quippe quae difficillime ab oculi axi reclinatur;
- c) in Cataracta cystica, quae ita extrahi potest, ut lens hamulo excipiatur;
- d) in hydrope lentis crystallinae s. Cataracta Morgagniana, cujus autem difficillima est diagnosi.

Indicationes reclinacionis.

§. 56.

Hac fere sunt:

- a) Cataracta capsularis, quoniam capsula obscurata commodissime deprimitur;
- b) Degenerationes corporis vitrei;
- c) Cataracta natata;
- d) Synechia posterior, quia deprimito saepissime adhaesiones sponte solvuntur,

ac praesenti pupillae Synezezi per depressionem pupilla subinde per se ad integrum redit.

- e) Cataracta adhaerens, i. e. adhaesio lentis cum capsula.
- f) Cataracta capsulo-lenticularis.
- g) Suffusionis reliquiae ab extractione aut Keratonyxi superstites, ubi nucleus durus aut capsulae partes residuae parum resorbtae sunt (Cataracta secundaria).
- h) Maculae corneae.
- i) Summa vulnerabilitas.
- k) Cachexia vel dyscrasia nondum ex toto restincta.

Indicationes Keratonyidis.

§. 57.

- a) Ubi aegroti infantes aut coeci editi sunt, quia propter nimiam oculi mobilitatem reliquae methodi hisce corporibus inimicae sunt.*)
- b) In cataracta lactea, gelatinosa, et caseosa.
- c) Palpebris parum hiantibus.
- d) Nucleus durus lentis incisae haud resorbtus. Verum tamen haud possum quin ab Andreae (Tract. sup. laud. pag. 668.) dissentiam, qui hanc solam indicationem statuit, siquidem multa docuerunt experimenta, depressionem per Keratonyxin, imo adeo cataractae durioris rarissime pressu offendere.

*) Infantulis maxime expedit, operationem cataractae maturima aetate praestari, siquidem ob eximiam infantiae reproductivitate facillime iridis atresia subnascitur.

§. 58.

Haec satis sufficere existimo, quae alias methodos prae aliis, singulasque singulis exemplis idoneas esse nobis persuadeant. Mihi propositum fuit, demonstrare, perperam facere, qui eandem semper curandi methodum amplectantur, quod si ex parte etiam contigit, summae mihi erit laetitiae. In posterum enim ad operae potissimum dabo, ut propria adutus experientia, hanc medicinae chirurgicae partem, quantum fieri potest, firmissimis suffulceam principiis. Priusquam vero hocce opusculo terminum imponam; paucula quaedam, ne brevitatis causa quidquam silentio praetermittam, de Scleroticotomia disserere.

De Scleroticotomia cum extractione lentis.

§. 59.

Hacce medendi ratione commoda extractionis per corneam conciliare ejusque incommodis, corneae laesioni, pressioniquae iridis, occurrere studebant.

Primus recentiorum Benj. Bellius*) ejus mentionem fecit, Butterus**) experimenta circa cadavera, et Earleus***) circa vivos instituit. Hos secuti sunt Quadrius, Loebensteinius (Loebel, †) quorum hic novam ejus modificationem exhibuit, quam tamen Edw. Chap-

*) Wundarzneikunde edit. III. pag. 217.

**) A. new propos. for the extract. of the cataract. Lond. 1785.

***) An Acc. of a new method. of operat. Lond. 1807.

†) Allgem. Annual. des 19. Jahrh., a. d. J. 1818. pag. 81. s.

mann*) jam prius proposuisse asseverat. Equidem, quum nunquam methodum hanc ab aliquo praestitam viderim, minori ejus cognitione sum inbutus, qui iudicium de ea rogare possum. Veram tamen periculosam nec unquam necessariam eam autumo, quocirca vix sperare licet, medicos eam studio aliquo esse amplexuros.

§. 60.

Jam superest, ut lectorum onimos implorem, ne hocce periculum severiori carpant iudicio, quamvis, quod probe intelligo, viribus majoribus, temporeque magis favente meliora in lucem proditura fuissent.

*) Lond. medic. and physic. Journ. 69 Fothergell. Vol. 37
1817 April. — Sequentes etiam hac de re evolvendi sunt
libri:

- a. Himly et Schmidt Opth. Bibl. I. 1. 131. II. 3, 170.
III. 2, 167.
- b. Langenbeck Biblioth. I. 2, 496.

Curriculum Vitae.

Ego Davides Heilbronn Idibus Augusti anno Millesimo septingentesimo nonagesimo nono in vico ducatus Lippiae parentibus ad hunc diem ibidem viventibus natus sum. Praeceptoribus destitutus, litteris, quibus pueri, vitae litterariae destinati imbui solent, non prius occubui, quam anno aetatis duodecimo, quo vico nostro relicto urbem vicinam, Bielefeldiam petens, ibidem tandem anno MDCCCXIII in scholas publicas duce tum temporis rectore Illustrissimo Ruhkopffio frequentavi. Sequenti anno, relicta hac urbe, Detmoldiam adii, ubi per tres annos et quod excurrit, virorum praestantissimorum, beati Koehleri, Preussii, Falkmannii et Moebii, quorum memoria semper cordi infixata haerebit, cura et opera litteris humanioribus sum eruditus. Dein anno MDCCCXVII Goettingam me contuli ibidemque studia medica inchoavi. Docuerunt me: Hemppel Osteologiam: Langenbeck Anatomiae reliquas partes et Chirurgiam: Schrader Botanice: Stromeier Chemiam: Blumenbach Physiologiam, Anatomiam comparatam et historiam naturalem: Hausmann Mineralogiam et Technologiam: Bouterweck Logicam et Aestheticam: Himly Pathologiam et Therapiam gene-

ralem aequae ac specialem et doctrinam de curandis oculorum morbis: Osiander artem obstetriciam theoreticam et practicam. Quibus absolutis sub finem anni MDCCCXVIII in almam musarum sedem, Berolini florentem, profectus, ibidem Rectore hoc tempore Magnifico Weifs in numerum civium academicorum receptus et Decano spectabili t. t. Berends facultatis medicae studiosissimus adscriptus. Ex quo tempore sequentes disciplinas audiui: Anatomiam apud Ill. Rudolphi, Physiologiam apud Cel. Osann, Therapiae specialis partem primam apud virum Perill. Hufeland sen., alteram apud Cel. Hufeland jun. Artem obstetriciam apud Clar. Friedlaender.

Nec deeram iis, qui obediētes verbis divinis: *παντα δοκιμάξετε καὶ τὸ καλὸν κατέχετε.* audierunt Mesmerismum apud Celeb. Wolfhart. Jam ad medicinae praxin conversus scholas clinicas, quibus Hufeland, vir perill., per tria semestria et quod excurrit, illas quibus Ill. Berends et chirurgicas, quibus Ill. Graefe praeest, omni qua potui studio et assiduitate frequentavi.

Nunc tentamine et examine coram nostra facultate absoluto, rogo, ut inclytus medicorum ordo, conscripta ac defensa dissertatione, summos in medicina honores mihi largiatur.

T h e s e s.

Nulla existit inflammatio asthenica.

Asthma acutum Millari morbus est sui generis.

Tussis convulsiva est morbus contagiosus.

Sunt viae clandestinae lotii.

Homoeopathia non plane est neganda.

Dictum: cessante causa cessat effectus, falsum.

The

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

